

## SAXONIA.

**S**AXONVM natio antiquum nomen retinens, terminatur ab Occasu Visurgi fluuio; ad Aquilonem Danos siue Cymbros habet, & mare Baltheum; ad Ortum Odera, qui veteribus Viadrus, Prutenis & Silesitis excipitur: à Meridie Mœnum & Bohemiam habet: Oritur autem Mœnus in monte Pinifero, qui est in ea Regione, cui VOITLANDIA nomen, sub ditione Marchionum Brandeburgensium, vnde cadunt quatuor insignia flumina in quatuor mundi cardines (mirum dictu) effusa. Mœnus inquam in Occasu, in Ortum fluit Egra; quæ Albi in Bohemia miscetur; Salas in Arcton, qui & ipse Albi confunditur. Nabus per Noriscos decurrens in Occidentem Ratisponæ Danubium ingreditur. Vrbes Voitlandiæ, vt & obiter hoc dicam, sunt Chulmbach, Parreyt, Hoff. Saxonum Regio complectitur THVRINGOS, quibus ab Ortum Misnij, ab Occasu Hessi occurrunt; à Septentrione Brunsvicia; à Meridie Franconia, Visurgo, Sala, & Mœno clausi; Metropolis est Erfordia (quæ maxima Germaniæ vrbs censetur) Thuringos à Gothis originem traxisse inde deprehendi potest, quòd apud Thuringos Gothi gentis suæ vocabulo Gotham Urbem condiderunt: Regio satis felix ab iis quæ ad victum pertinent. Isatis herba inibi nascitur, lanarum infectoribus utilis, vulgò Quadam vocant, ex qua plerique annonam totius anni sibi parant. Diuiditur insuper Saxonicum solum in duas Regiones, vtraque Marchiæ nomen habet, quæ Noua dicta est, Odera fluuio perfunditur, Veterem Albis intersecat, ad cuius ripam vrbes Witenberga, Magdeburga, Stendelum, Osterburgum, Hamburgum, Lubecum, quod à ripa Albis aliquantum recessit. Noua in Austrum, in Bohemos, & Silesios vergit, cuius vrbes Francofordia, Berlinum, Brandeburgum, Stetinum, Auelburgum. MISNIA pariter Saxoniam huic, quam Superiorem vocant, insita est, inter Salam & Albim posita est; hanc olim Hermanduri & Sorabi Sclauorum natio habuerunt. Misnia autem à Mesia lacu, ad quem olim fortassis habitauerunt, aut à Misna vrbe, cui opinioni libentius accedo, nomen habet: vrbes, Misna, Chemnitium, à fluuio qui præterfluit dictum, Suicauia, Lipsia academia, Altenburgum, Santo Annæ mons; huius Regionis montana sunt foeta mineris. Amnes, Molta, Albis, & Salas. LVSATIA regiuncula, quamuis Bohemorum ditioni parens, tamen & ipsa Saxoniam tribuitur, inter Albim, Oderam & Bohemiam montes interiacet; Vrbs præcipua est Gorlitia. Nissa fluuio eam rigat. Hactenus Georg. Rithaimerus in sua Orbis descriptione. Plura de his Regionibus Pius II. in Europæ suæ descript. Vide etiam Munsterum. Sed inter omnes studiosiss. descripsit Saxoniam integro volumine Alb. Crantius. Misniam obiter etiam describit Ioan. Gerson, in libello de rebus Saxoniam. Harum Regionum typicam delineationem ex Tabula Geographica Ioannis Crigingeri quæ Pragæ excusa est Anno. 1568. huic nostro operi inseruimus.



SEPTENTRIO.



Oppida notat,  
Pagos significat,  
Metalli fodinas.

**SAXONIAE,  
MISNIAE, THV-  
RINGIAE, NOVA  
EXACTISSIMA  
DESCRIPTIO.**

Baria	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	25	26	27	28	29	30	31	32	33
Medioria	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	25	26	27	28	29	30	31	32	33
Magna	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	25	26	27	28	29	30	31	32	33

MERIDIES.



